



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. VI. Subversio Hierusalem à Tito & Vespasiano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

& *Otho* usurpant principatum, quibus post annum & tres menses defunctis, *Vespasianus*, tunc apud Iudæam in exercitu existens, revocatur, & donatur imperio; commendata Tito filio suo causa belli, & impugnatione Hierosolymæ; sub quo præfata civitas capitur & subvertitur.

C A P. VI.

Subversio Hierusalem à Tito & Vespasiano.

Ecclēsia vero fidelium, quæ ibidem fuerat congregata, divino accepto responso, prævenit subversionem, & ad opidum, *Pellam* nomine, trans Iordanem emigrat. Tunc incredibilis fit cædes Iudæorum; & primo quidem diræ & inauditæ famis exitio plaga intolerabilis divinitus mittitur, in tantum, ut bella & cædes inter parentes & liberos committerentur, dum non solum è manibus, sed ex ipsis faucibus invicem rapere cibum decertant. Ad ultimum quidem ne loris vel cingulis, aut etiam ipsis calceamentis, abstinent. Portarum quoque indumenta detrahentes conficienda dentibus ingerunt, nonnulli & fœni veteris edunt festucas. Porro geritur ibi facinus execrabile, neque adhuc apud Græcos, neque apud Barbaros auditum.

C A P. VII.

De Maria, quæ filium suum comedit assatum.

Mulier quædam, *Maria* nomine, genere & facultatibus nobilis, quæ ad diem festum cum cæteris de

D

trans